



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SOROTIENSIS\*** QUIBUS DAM TERRITORIIS  
AB ECCLESIA TOROROËNSI IN UGANDA

**DETRACTIS, NOVA CONDITUR DIOECESIS SOROTIENSIS NOMINE** Ad spiritualem provehendam salutem Christifidelium intra fines dioecesis Tororoënsis in Uganda degentium necnon ad eorum aptius consulendum regimini ab hac Apostolica Sede est antea postulatum ut nonnulla territoria a dioecesi, quam diximus, seiuncta novam constituerent Ecclesiam. Nos igitur re mature perpensa, auditis eorum, quorum interest, votis, de sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositi sunt, Nostra summa potestate sequentia decernimus. A dioecesi Tororoënsi territoria districtuum civilium, qui vulgo Soroti et Kumi nuncupantur, separamus hisque novam condimus dioecesim *Sorotensem* appellandam quam, metropolitanae Sedi Kampalaënsi subiectam atque Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide iurisdictioni obnoxiam, constituimus. Insper sedem Episcopi huinsce novae dioecesis in civitate vulgo Soroti ponimus eiusque vero magisterii cathedram in templo ibidem exstante, Deo dicato in honorem beatae Mariae Virginis sub titulo Immaculatae Conceptionis, quod igitur ad cathedralis Ecclesiae dignitatem evehimus, cum debitissimis iuribus. Cetera omnia ad ius Canonicum perficiantur ad amussim. Ea autem quae praescripsimus ad effectum adducat Venerabilis Frater Henricus Lemaître, Archiepiscopus titulo Tungensis et in Uganda Apostolicus Pro-Nuntius, vel ab eo delegatus vir in sacra dignitate constitutus. Re vero peracta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide cito mittantur, rite subscripta atque sigillo impressa. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri tertio.

CAROLUS Card. CONFALONIERI

*S. Collegii Decanus*

AGNELLUS Card. ROSSI

*S. Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Liborius Scaccia, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXIII (1981), n. 3, pp. 221-222

© Copyright 1980- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana